



Nazwa instytucji

Książnica Cieszyńska

Tytuł jednostki/Tytuł publikacji

**Carmen Reverendissimo ac Perillustri Domino Domino
Matthaeo Oppolsky [...] a Clero Decanatus Teschiniensis
occasione emanatae altissimae c. r. Confirmationis Episcopalis
electionis Ejusdem in Vicarium Generalem et Officiale in
Memoriam et signum grati devotique animi Suo meritissimo
Praesuli reverenter oblatum.**

Liczba stron oryginału

8

Liczba plików skanów

8

Liczba plików publikacji

9

Sygnatura/numer zespołu


C II 005706

Data wydania oryginału

[1843]

Zdigitalizowano w ramach projektu pt.

**Udostępnienie cieszyńskiego dziedzictwa
piśmienniczego on-line**



**Fundusze
Europejskie**
Program Regionalny



Śląskie.

Unia Europejska
Europejski Fundusz
Rozwoju Regionalnego



CARMEN

Reverendissimo ac Perillustri

Domino Domino

MATTHÆO OPPOLSKY,

S. S. Theologiae Doctori

Suae Reverendissimae Celsitudinis D. D. Principis atque Episcopi

Wratislaviensis in Ditione Austriaca

Vicario Generali

Commissario Episcopali, supremo scholarum Inspectori et in earumdem
causis Referenti, Archipresbytero et Parocho Bilicensi

A

Clero Decanatus Teschiniensis

occasione emanatae altissimae c. r. Confirmationis Episcopalis electionis

Ejusdem in Vicarium Generalem et Officiale

in

Memoriam et signum grati devotique animi

Suo meritissimo Praesuli

reverenter oblatum.



Teschinii,

typis Caroli Prochaska, privil. Typographi.



C.00570611

Responsura Tuo nunquam est par fama labori.

Horat.

Est nobis voluisse satis, nec munera parva

Respueris

Tibull.



Exoptate diu! quem nobis gratia nuper
Caesaris addixit, favit et esse Ducem;
Vile Tibi dabimus donum pro munere tanto,
Quod modo submissum carmen latebit iners.
Cumque voluntatem judex magis inspicit aequus,
Atque haec in pretio saepius esse solet:
Ergo dabis veniam nobis mitissime Praesul!
Si minus exile hoc ipse probabis opus.
Nam Neopresbyter jam zelosus amansque laborum
Teschinii, populo Tu quoque charus eras.

Nec non Gymnasii fueras membrum venerandum,

Proponens summi dogmata sacra Dei.

Quam sit enim miserum teneram formare juventam,

Quaeque requiratur cura, latere nequit.

Expers ista die, sera expers nocte quietis

Vita est, multum aloës, nil prope mellis habet.

Quodque magis cordi est, fructu, eventusque carere;

Sit licet enormis, cernitur iste labor.

Agricolam videas, sterilem qui conserit agrum,

Et vix dimidium seminis inde metit:

Ista Professorum plerumque est tristis imago,

Fessaque perpetuum brachia lassat opus.

Astve Tibi fuerat parochia Freystadiensis,

Tanquam pro meritis praemia digna Tuis.

Pectus ibique Tibi populi spirabat amorem,

Quo certe dignus, Tu bone Pastor! eras.

Nunc vero Ecclesiae praees pluresque per annos

Bilicii quo Te consequebatur honos.

Promeritus quantum fueris de cura animarum

Cognita sunt nobis sat documenta Tua.

Doctrina clarus, multa pietate celebris,

Atque colens pura simplicitate Deum.

Gessisti munus simul Archipresbyterique,

Et Tua quis digne dicere gesta valet!

Una et Episcopalis Commissarii Venerande!

Officium gerebas, impiger difficile;

Nec non supremus fueras Inspector scholarum,

In causisque earum Tu pariter Referens.

Contigit ast Tibi pro meritis insignis honestas,

In quo sublimi munere, Noster! Ave!

Quem pridem vero fata invidiosa negarunt

Atque gregi Ducem non dederant avidae.

Ast votum populi praesens excepit Olympus,

Hic Te nam meritis comat honoris apex.

Sicve Tibi Praesul! jam tunc servabat honorem,

Quo nunc resplendes, Omnipotentis amor.

Spes patriae, Clerique decus, columenque Tuorum

Praesidium miseris, optime Praesul! Ave!

En! Te miramur tantas impendere vires:

Ut nobis semper vita beata foret.

Tu nobis leges vitae praescribis honestae,

Regula qui morum, normaue viva viges.

Et certe usque Tuis dotibus, ingente labore

Intendis patriam condecorare piam.

Denique quid superest, fas est concludere carmen —

Quam sincera prius fundere vota Tibi?

Vive! diu felix, noster Charissime Praesul!

Vive! Tuique status gloria magna pii;

Qui munus titulosque dedit, superaddat et annos,

Et faciat vitae tempora laeta Deus!

Audiet hasce preces, gemitus qui pectoris audit,

Et caelata oculis interiora videt,

Semper et incolumem servet facietque beatum ,

Si vita, ut petimus, sit diuturna Tibi.

At Tu more Tuo nos Mystas perge fovere

Et cum clementi Praesule — junge Patrem!


Suscipe Dux solers! devoti carmina Cleri,

Quem Tibi nunc creditum rege benigne Tuum.

Sicque: „Honos, Nomenque Tuum, laudesque manebunt,“

Et Te nobiscum grex Tua cuncta colet!





Biblioteka Śląska

C 005706

II

W
KOMP.